lvii Aliter qui repentina concupiscentia superantur.
aliter qui in culpa ex consilio ligantur.

lviii Aliter qui licet minima crebro tamen illicita faciunt. aliter qui a parvis se custodiunt sed aliquando in gravibus demerguntur.

lix Aliter qui bona nec inchoant. aliter qui inchoata minime consummant.

lx Aliter qui mala occulte agunt et bona publice. aliter qui bona que faciunt abscondunt. et tamen quibusdam factis publice mala de se opinari permittunt.

lxi Sic predicatione destruendum est unum vitium in auditore ne aliud nutriatur in alio.

lxii Si quis variis contrariis laboret. sic amputandum est unum: ne crescat aliud si possit. similiter minus patiatur crescere. ut aliud possit facilius curari.

lxiii Alta rudibus non debent predicari.
Prelatus se ipsum primo corrigat. et tunc demum aliorum vitam predicando componat.

lxiiii Ne se predicator de predicatione sua glorietur. Conclusio.

Cor sic affatur oculum. Te proditorem principium. Te fomitem. te stimulum. te mortis dico nuntium. Tu domus mee ianitor hosti non claudis hostium. familiaris proditor admittis adulterium. Ratione fenestra diceris qua mors intrat ad animam. Ratione quod videt sequeris ut bos ducitur ad victimam. cur non saltem quas ingeris sordes lavas per lacrimam. aut quare non erueris mentem fermentans azimam.

Cordi respondit oculus. iniuste de me quereris. servus sum et sedulus. exequor quicquid iusseris. Ratione tu in preceptis sicut et membris ceteris. non ego. tu te decipis. nuntius sum quo miseris. Quid damnatur actio corporis necessaria sine cuius obsequio cuncta languent officia. quod si fiat receptio cum sim fenestra previa. si quid recepi nuntio que vel qualis intrantia. Adde quod nullo pulvere quem intuitum polluerit nullum malum te ledere potest nisi consenseris. De corde mala prodeunt nichil intus patitur. Utinam non intrent nisi culpam commiseris. Dum sic utrique disputant solvo pacis osculo. ratio litem amputat distinctivo calculo. reum utrumque reputat sed non pari periclo. nam cordi causam imputat occasionem oculo.

O homo respice mentali oculo quanto remunerationis debito pacienti astrigaris domino. recole sudorem sanguineum. alaparum contumeliam. flagellorum instantiam. spineam sertam. crucis angariam. suspendium patibuli. caput inclinatum. oculos languentes. ulnas extensas. manus confixas. pectus perforatum. pedes confossos. escam felleam. acida pocula. spongie obsequium. sputa ludibria. ictus arundinis. latrones alternectos. geminatum crucifige. quid plura? vilissimum mortis supplicium. et probra nephandissima.

Ad ipsum recurramus quia ipse est pater misericordiarum et deus totius consolationis qui consolatur nos non in hac vel illa sed in omni tribulatione nostra sicut dicit psalmista. multe tribulationes iustorum et de omnibus his etc. hoc bene sensit et expertus fuit psalmista. cum dixit. secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tue letificaverunt animam meam. Non enim est aliquis in tanta tristitia qui consolationem inveniret si ad ipsum recurreret. Ideo psalmista alibi. Renuit consolari anima mea. memor fui dei et delectatus sum. Sed multi alienam consolationem querunt et ideo non est mirum si divina